

DISSERTATIO PHILOSOPHICA IN AVGVRALIS

DE
**COMPENDIARIA
ERVDITIONE.**

SVMMI NVMINIS AVSPICIO

ET
INDVLTV

*AMPLISSIMA FACVLTATIS PHILOSOPHICAE
in ACADEMIA IULIA
PRAESIDE*

GODZEEJS SAMVEL

ERSEWESER

POLIT. ET MORAL. PROF. PVBL. ORD.

AMPLISS. FACVLT. PHILOS. h. t. DECANO,
**PATRONO ET PROMOTORE SVO AETATEM
OBSERVANTER COLENDO**

PRO
CONSEQVENDIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

et PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS

ad diem Maji cccxviii.

ERVDITORVM EXAMINI

subjicit

FRIDERICVS WEISE, NVMBVRGO-MISNICVS.

HELMSTADII,

TYPIS HERMANNI DANIELIS HAMMII, ACAD. TYPOGR.

Coll. diss. A
123, 24

a. CXXIII, 24.

VIRO VENERABILI
SVMME REVERENDO ATQVE
DOCTISSIMO

Dn. **E**RRIC^{II} S^{AN}CT^I S^{OB}ER^{AN} I

Sicut erit |

SERENISSIMO DVCI BRVNSVI-
CENSIVM, LVNEBVRGENSIVM
A CONFESSione ATQVE CONSILIIS
ECCLESIASTICIS,

SUPERINTENDENTI GENERALI
ET
ABBATI COENOBII RIDDAGSHVSANI



PATRONO SVO AETERNUM
DEVENERANDO.

**VIR SVMME REVERENDE
PATRONE, OMNI OBSERVANTIA
AETATEM COLENDE,**

Quam venerandæ Tuæ virtutis cultum
meum testandi occasionem jam dudum ex-
optauī, eam longe commodissimam mihi
nunc obtingere gaudeo. Probitatis enim, eru-
ditionis, præstantiae, quam omnes boni praedicant
et admirantur, tantum in TE est decus, ut Serenissimi
Heroës, hac delectati, summas Ecclesiasticarum re-
rum dignitates TIBI etiam decernere non dubitā-
uerint. Ad eas vero euectus omnium desiderio sa-
tisfacis, Deoque probaris & Clementissimo Tuō
PRINCIPI. Nectamen interea opis Tuæ indigentia-
bus eam denegare soles, quorum commoda non
minus opera quam consilio studies promouere. Cu-
ius quidem rei luculentissima ipse monumenta ha-
beo. Namque apud DVCEM Serenissimum,

AV-

AVGVSTVM WILHELMVM, cuius
Regimen Deus faustissimum esse jubeat, commen-
datio Tua tantum valuit, ut, firma spes mihi facta sit
collegati locum in Cœnobio Tuo obtinendi. His igitur
motus, dum fortunam nunc mihi adeo fauentem
animaduerto, vt Amplissimae Facultatis Nostræ
Philosophicae indultu a FILIO Tuo, Patrono
meo sincero, Illius h. t. Decano spectabili, hono-
res philosophicos, et primus quidem, adepturus sim,
TIBI, felicissimo Parenti, has meas laborum Aca-
demicorum primitias, Illo Praeside defendendas,
in deuoti gratique animi tesseram, consecro, et
eruditionis compendiariae monstrum ad tribunal
Tuum cogo. Faxit Deus T. O. M. vt Tuæ Tuor-
rumque virtutis dulcissimos fructus in dies plures et
maiores sentias quam diutissime.

Nominis TVI
Summe Reuerendi

deuotissimus,
Fridericus Weise.

-VA



CAP. I.

DE COMPENDIARIAE ERUDITIONIS NATVRA.

SUMMARIA.

§. I. Eruditio dividitur in veram, superficiariam, & falsam, §. II. Superficiariæ species est compendiaria, quæ definitur. §. III. Compendia laudantur, §. IV. non æque eruditio compendiaria, §. V. quæ hodie vigens, §. VI. dupliciti ratione acquiritur, nempe vel per id, quod studiis externum est, ut (1) divina inspiratio, §. VII. (2) foedus cum cacodaemoni, §. VIII. (3) amuleta, §. IX. (4) ars mnemonica, §. X. vel per id quod studiis internum est, ut (1) ars Lulliana, §. XI. (2) collegia et cursus variarum scientiarum, §. XII. (3) lexica tum verborum tum rerum præcipue, §. XIII. (4) librorum cognitio quoad iustos v. g. ex catalogis, §. XIV. (5) perleccio indicum libris adiunctionum, §. XV. (6) item diariorum et ephemeredum de rebus eruditis agentium, §. XVI. (7) compendia vulgo sic dicta, quando sola ediscuntur.

§. I.

V T mentem meam de COMPENDIARIA ERUDITIONE benevolus Lector citra obscuritatem perspiciat, eruditio in communi naturam cum speciebus suis famosioribus initio statim explanabo. Meo quidem judicio per vocem illam rerum optimarum scientia indicatur, qua hominis animus, a natura horridus, rudis, et incultus, perfectur & quasi expolitur: desumta similitudine per quam eleganti ab ære aut metallis, adhuc rudibus, necdum pur-

purgatis, quae multo posthac labore defecantur, atque sordibus liberantur. Sicut autem pro ingeniorum imo erudientium diuersitate *eruditio* in omnibus una esse nequit; ita, nec sine fundamento, diuersimode diuidi solet. Vbi tamen scopo meo accommodatissimae videntur enumeratae a Petro Poiret tres eruditionis species: *solida* videlicet, scilicet *vera*, *superficiaria* et *falsa*. Per *solidam* intelligo rerum optimarum scientiam, quanta quidem in hanc vitam cadit, plenissimam, claris et distinctis rationibus vnde superstructam. Dicitur *solida* per eandem metaphoram massae aeris, solide, h. e. quanta quanta est, per metallicarum rerum peritos a ruditate ad puritatem perductae. *Superficiarium* eruditionem optime concipi posse arbitror, quando metalla externa saltem superficie videmus polita, neglectis ab artifice impuritatibus, quae interius latent; ut adeo talis in animis hominum eruditio scientia fucosa omnino sit, quae speciem verae sapientiae imperitis obiiciendo solidam doctrinam tantummodo mentitur. *Falsae* denique eruditionis simulacrum deprehendimus in metallis, obiter attactis, ut sordium plus retineant, vel recipient etiam, quam amittant. Quali eruditione eos laborare animadvertisimus, qui deterioribus in cognitione rerum principiis vntuntur. Nihil enim nisi absurdam notitiam inde acquirunt. Quare cum illustri Vossio et Morhofio *solide* eruditos apibus compono, quandoquidem doctrinae et sapientiae mella e variis floribus congerunt, et bonae famae fragrantia orbem eruditum implent: *Superficie* autem eruditos, qui ignava opera atque inepta vanitate scientias ostentant, cum fucis, et false eruditos cum *crabronibus* comparo, utpote qui, cum prodesse nulla re possint, strepitum aliis molesti sunt.

§. II.

Ad quam ex tribus hisce eruditionis speciebus *compendiaria* nunc referenda sit, judicatu facile existimo, si, in quo consistat unaquaeque, probe attendatur, et cum iis conferatur compendiariae eruditionis natura. Est autem haec eiusmodi, ut, quicquid discitur, vel ex compendiis variisque epitomis vel viis male compendiariis ita conqueratur atque hominis ingenio ingurgitetur, ut possessor

ssor eius eruditionis in quotidiana conuersatione de omnibus ferme rebus vaga et ad externum splendorem composita colloquia instituere possit, ac parum absit, quin solide eruditum censeas, quem vulgus eruditionis nomine et opinione denotare solet: quod si vero ad intima rerum viscera processeris, altum inuenias silentium aut crassam ignorantiam. Cum itaque eius farinae homines aliis et falso quidem opinionem solidae eruditionis praebeant, nil obstabit, quare *compendiariam* eruditionem SVPERFICIARIAE partem eamque praecipuam vocare non dubitem, eamque definiam quod sit *eruditio superficiaria breuiter et facile acquisita.*

§. III.

Nemo tamen sibi hinc persuadeat, me hac ratione *compendia* scientiarum vulgo sic dicta reiicere. Absit. Summae enim artis est rem alioqui vastam atque amplissimam paucis comprehendere et doctrinae summam neruose ac philosophica breuitate ante oculos ponere, ea nimirum ratione, vt nihil abundet nihil deficiat. Nec reiiciuntur omnia adminicula, quibus per compendium eruditio adquiri potest. Cuius quidem rei innumera exempla ab optimis summisque viris cum orbe literario videmus communicata. Eximiā quoque utilitatem adferunt illa ingenii rudioribus, quae ex iis recte satis erudiri incipiunt. Siquidem fundamentis per ea positis id postea superstrui potest, unde veram ac solidam consequatur eruditionem. Non enim

que mole grauant semper sunt commoda, namque

Gemmula grata magis, quam magno pondere ferrum.

Quinimo necesse arbitror, ut apum instar certas quasdam cellulas in mente nostra adaptemus, antequam ingentem illum rerum discendarum cumulum in ea reponamus: nisi forte summam oriri malimus confusionem, quae solidam eruditionem reprimere magis quam promouere solet. Igitur ne vsum quidem talium compendiorum reprehendo, qui rectissimus est, quando auctorum suorum fini, prudentissime intento, exacte respondet et effectus exoptatus iisdem obtineri potest.

§. IV.

§. IV.

Sed hoc diffiteri non possum, quod eruditio, quae solis illis compendiis nititur, nec ad sublimiora progreditur, laudes cum iis pares nullo jure participet. Quis enim non videt, eam compendiorum scopo prorsus contrariam esse? Architectorum certe nemo ea intentione tigna erigit, ut exstructa vacua sint, nec a reliquis operariis ulterius elaborentur; verum, ut domus secundum varias partes perficiatur aptaque reddatur inhabitationi. Ii vero, qui per sola compendia suaui breuitate rationem suam perficere student, fine tum suo tum epitomistarum, (ut ita loqui liceat,) turpissime excidunt. Neque etiam breuitas illa, qua sibi blandiuntur, philosophica meretur appellari, cum Philosophorum non sit, desultoria leuitate scientiis operam dare, aut vulpis exemplo, neglecta pulte, lagenae collum lingere, sed superuacula tantum ac nullius momenti nugas euitare.

§. V.

Quamuis autem vera et solida eruditio se ipsam commendet, et, quantum reliquis praecedat, quisquis pollet judicio, clare satis animaduertat, nihilominus morbus quidam animorum et pruritus compendiariae eruditionis vndique iam grassatur, quo laborantes ignorant, licet ignorare dissimulent, quid distent aera lupinis. Quod quidem ex eo abunde constat, dum plerique, quibus ratio vel praeiudiciis vel affectibus corrupta sit necesse est, pulchrioribus deteriora paeponunt, corticibus delectati nucleus aut contemnendo aut repudiando. Hinc solida eruditio sub nomine *Grammaticismi*, *Pedantismi*, *Scholasticae doctrinae*, et si quae sunt in re publica litteraria haereses aliae, plerumque exulat. Compendiaria vero, vbique terrarum est, et patriam orbis eruditii habitat; eam colunt, sectantur, admirantur. Huius opera utuntur, quicunque sine molestia et difficultate in erudito orbe tanquam nouae stellae suspici laborant, non cogitantes, quam cito gloriolae illius splendor euanscat.

§. VI.

Sed non vnius generis est eruditionis illius comparandae *ratio*, *alia* enim a studiis ipsis desumitur, *aliam* in rebus, quae nullo sane vinculo cum scientiis connexae sunt, offendere licet. Vtriusque

que rationis varii potro modi sese nobis offerunt. *Modorum, ad ipsa studia non pertinentium, PRIMVM constituo superstitionis illum, quo nonnulli hodie immediatam Dei inspirationem, quae plantandae Ecclesiae temporibus viguit, ad plantatae etiam secula extendunt, ac de ea sibi gloriantur gratulanturque.* Hi a solo Spiritu S. summo doctore ac ductore absque humana institutione edoceri volunt. Vnde, teste Gerard. Croesio, in hortos atque agros secedentes vitam degunt mere contemplativam, reuelationes, visiones, insomnia, responsaque diuina exspectando, eaque sibi, velut indubitatis testibus, facta audacter enarrando. *Quin puluerem, (Helleboro forte indigentem,) deglutiunt, qui mirabiles statim visiones clet, scientiisque omnium quippe pulcherrimis gutture tenus refercit.* En igitur, beneuole Lector, insigne Quakerorum, Enthusiastarum, Fanaticorum erudiendi compendium in habitu infuso situm, sub cuius inani praetextu tot nefandi errores, pudenda scelera, facta turpis sima ab istis homuncionibus venditantur, defenduntur, excusantur.

§. VII.

Secundus compendiariae eruditionis modus, priori non valde dissimilis, iste est, quando *Spiritus mundi*, ut vocant, vel *daemonum ope* magi et beneficæ de rebus antea ignotis cum stupenda profecto certitudine talia disserunt, qualia vix naturaliter ne dum ab hominibus edoeti cognoscere vñquam potuerunt. Horum facile agmina apud daemonographos inuenias, qui plures diaboli assidentia eruditos perhibent. Multos certe gloriatos esse, se a spiritu s. genio familiari, in muscarum grillorumue forma crystallis, annulis, imo gladiorum manubriis inclusio, artes liberales omnemque sapientiam hausisse, vel etiam consuetudinem cum incarnato cacodame, sub specie corui, canis, pueri, anseris etc. apparente atque ignota iis reuelante habuisse, legimus. *Quin, si Martino Delrio in disquisitionibus magicis velimus assentiri, magna in intellectum humanum potestas angelis malis erit tribuenda.* Vnde apparet, quod vno impetu et sic per compendium quidam malarum artium ope crudiri in iis velint, quae alii multa lucubratione vix assequi possunt,

B

§. VIII.

§. VIII.

Peculiari modo, qui *tertium* esse potest, illi delectantur, qui, nihil plane laboris impéndentes, per *amuleta*, ligaturas, laminas characteribus consignatas, lapillos, collo s. alii corporis parti apensos, omnis generis conciliare sibi sapientiam sperant. Norunt eiusmodi stipites, quod talia usurpauerint ethnici et alii superstitioni ad morbos depellendos, victoriam reportandam, imo contra fascinationem. Sic in Physicorum libris plurima reperiuntur de gemmis, niceteriis, sigillis, literis ephesiis, numismatibus, fracteriis, phylacteriis, apotelesmatibus etc. Et a Iacobo Wolffio in amuletorum scrutiniis Beryllus et Topasius ad bonum intellectum facere dicuntur. Pari ratione Chrysolitus stultitiam pellere, sapientiam vero augere a veteribus putabatur. Quam ob causam cum otium istiusmodi asinis labore semper carius sit, ambabus manibus res illas inanes arripiunt, intellectus sui organa ad *narcosias* eleuaturi. Quam quidem, si adipiscerentur, nunquam illis bonorum quisquam inuideret.

§. IX.

Quartum compendiario erudiendi modum illi subministrant hic recensendum, qui arte *notatoria* s. notaria, vel ut alii appellare malunt *mnenomica* omnem sibi scientiam comparant, aliisve comparaturos sese promittunt. In characteribus, et signis, versibus memorialibus ad vnguem ediscendis, numeris, figuris, literis, locis conclavium imaginariis, vel in ipsis etiam imaginibus, ita monstrosis vt pueris facile terrorem incutiant, tanta ipsis est suauitas nec non excellentia, vt pene illudant, qui alia ratione, nempe assida cura laboribusque indefessis, de doctrinis consequendis cogitant. Conquirunt itaque Tabulas variarum scientiarum, hortos et arbores Philosophiae, horologia linguarum, ideas et introductiones mnenomicas, aleae lusus, chartiludia, nomenclatores et similia, ex quibus tantam sibi credunt subnasci rerum cognitionem, quae ad dies vitae omnino sufficiat. Nolit vero quisquam in rudiorum institutionem talia inuenientes hinc reprehendere, aut in eos, qui publico literario cogitata sua impertiunt, aculeos emittere: Laudet potius cum Th. Bartholino de legend. libr. auctorum orbi consul-

len-

lentium conatus, et seruum tantummodo pecus castiget, quod in compendiis iis solis acquiescit.

§. X.

Hi fere sunt compendiariae eruditionis acquirendae modi, illi videlicet, qui cum ipsa eruditione nullatenus cohaerent, et multa adhaec superstitione nituntur.

Aliera nunc eorum, prout ab ipsa scientia desumuntur, classis, aliquanto speciosior, inspicienda est. In qua *primum* locum obtineant illi, qui arti, quam *Lullianam* vocant, nimium quantum tribuere solent, seque eius solius opera nihil non scire gloriantur, nec non istud hominum genus, quod *encyclopaedius* quasi immortuum has sibi imprimendo omne tempus consumit. Concedi quidem potest plurima in iis bona contineri; cuius rei certitudinis curiosus lector adeat, si volet, Casp. Knittelii viam Regiam ad omnes scient. et art. vel Ath. Kircheri artem combinatoriam, item Alstedii Encyclopaedias, et si qui sunt eius generis libri alii. Vnde eorundem usum non plane spernendum Morhofius, olim eorum contemtor, in Polyhistore existimat. An vero sectatores eiusmodi compendiorum, quem sibi pollicentur, finem, felicitatem nempe literariam, perfecte obtineant iis adminiculis, hoc ipsis perpendendum, et, si a partibus liberi fuerint, judicandum relinquo.

§. XI.

Proximum ab his locum jure ac merito habent, qui in Academia *Collegiis* vulgo *Pansophicis* et polyhistoricis ad meram ostentationem et fastum inuigilant, per quae de multis rebus aliqualem, de nulla autem, prout requirebatur, genuinam notitiam nanciscuntur. Auidissimi sunt τῆς πολυμαθείας, quam tamen breue omnino vitae nostrae tempus imo indoles felicissima, eaque rarissima, vix admittit: praeterea laborum impatientes sunt, et per infundibulum, si licet, sapientiam uno bono haustu mallent imbibere. Itaque colligunt, quoad eius fieri potest, quicquid proponitur, et cum multa, nec ea multum, tractent, vias sibi ipsis ad ignorantiam sternunt patentissimas. Referuntur huc recte illi, qui cursus, ut vocant, Philosophicos, Theologicos, Mathematicos etc. instituunt, tres qua-

tuorue disciplinas volatice aliqua percursitatione delibando, existimantes, magnam sibi thesaurum obtigisse, quando, vacuo capite, cistas et repositaria chartaceis onerant diuitiis, ex quibus olim filius arguere possit, quam diligentem habuerit patrem, cuius vestigia sibi premenda intelligat.

§. XII.

His *tertiis*, succedant mancipia *Lexicorum*, omnis generis hodie variaeque appellationis exstantium: Plurimi enim hodie ex Lexicis tantum sapere cupiunt. Quemadmodum in iis infiniti termini quacunque in disciplina, arte, scientia occutentes ad vulgi captum explicantur, quod sane si memoriam spectes utilissima res est: ita eorum occasione quidam in animum induxerunt, se scientiae habere satis, vbi omnia, quae in Lexicis traderentur, probe tene- rent. Vnde hanc sibi methodum excogitarunt, qua in scientiis tum Juridicis et Theologicis, tum in Philosophicis rerum v. g. Geographicarum, Historicarum, Politicarum, Mathematicarum et id genus plurium vel tantummodo terminos cum significatione sua vel verbali vel reali breuiter ediscunt, usque adeo, ut viua Lexica evadant, vel res per ordinem alphabeticum dispositas adeoque male cohaerentes sine interna earum et reali connexione hauriunt: vel non nisi data occasione ad Lexica tanquam totam eruditionis suae supellectilem ignorantiaeque asyla recurrent et buccellam alicuius doctrinae festinante spiritu rapiunt, qua ostentare possint, se sapientiae delicias quoque degustasse. Hac ratione ex omnibus ali- quid, ex toto nihil, norunt, nec quicquam proficiunt, nisi quod compendii sui ignaris fucum faciant infinitae doctrinae, etiamsi monte parturiente ridiculi mures nascantur.

§. XIII.

Splendidiorum paulo modum illi adhibent, qui speciosam librorum notitiam sibi comparant omnibus viribus eo laborantes, vt pro literariae rei peritissimis h. e. polyhistoribus habeantur. Et sane nisi fallacibus adminiculis illam venarentur, nemo iis hanc gloriam denegaret aut inuidet. Quid enim de iis judicandum est, quando in nuda *tisnorum libris praemissorum* evolutione subsistunt,

et

et ad summum praefationes perlegendō addunt, ex quibus fata vel librorum vel autorum vel de his aliud quid memoriae suae omni fide mandant, vt data occasione magnam illorum copiam, qui de hac vel illa materia egerunt, nominando citare, et audientes in opinionem adducere possint, se esse infinitae lectionis homines. Pari cum his passu ambulant, qui prolixos celebriorum bibliothecarum catalogos corradentes eundem in finem libros in iis nuncupatos secundum titulum animo insculpunt; nec non isti, qui historiae literariae inni nominum, non rerum, studio percurrendae omnem nauant operam, non vt aliquid excellens in illo studiorum genere praestent, sed ne saltim nihil, ardelionum more, egisse videantur. Verum historia literaria sic abutentes pessimum inter pessimos compendiarie erudiendi modos elegerunt; vnde bonam iis mentem omnes boni merito precantur: hoc in primis tempore, vbi nescio quo furore tot ingenia sub praetextu historiae litterariae ad tot absurdas de eruditis viris collectiones incumbunt et inter nugas difficiles tempus terunt ac cum insigni eruditionis opinione versantur.

§. XIV.

Iis, qui ex librorum fronte scientiarum naturam perspicere conantur, eos *quinto* subiicio, qui libros velut a tergo adoriuntur, atque *indices* eorundem tantum perlustrando labori per quam molesto supersedere volunt. Cum enim argumentorum, quae in libris pertractantur, omnium summaria ordine disposita in eorum fine deprehendant, neglecta librorum lectione huc configiunt, et, vt inclarescant, ex indicibus duntaxat opera sua exstruunt. Dubium quidem non est, quin magnum in se fructum indices habeant; nam rerum capita commemoratosque autores suppeditando memoriae dissentium optime succurrunt, vt, quae relegi atque ulterius imprimi debeant, inde colligatur: quod si tamen saluberrimus eorum scopus ab eiusmodi desidibus dissimuletur, indices horum gratia scriptos non esse, quilibet sanioris iudicii agnoscet.

§. XV.

Sextus compendiarie erudiendi modus, et ille reliquis plausibilior, obseruatur abiis, qui singulis fere mensibus vel nundinis,

praecipue Francofurtensibus et Lipsiensibus *ephemerides eruditorum*, hodie maxime vsitatas, sibi asportandas curant. Quales variis passim titulis insignitas innumerar fere nunc habemus. Tot enim Famae, Acta, Deliciae, Obseruationes, Relationes, Commentarii, Iudicia, Colloquia, Musea, Bibliothecae, Nouellae, etc. his temporibus circumferuntur, vt propria indigeant Bibliotheca, in qua ordine suo disponantur. Et sane a multis, qui incredibili earum rerum cupiditate inflammati sunt, tam strenue colliguntur, vt eas igne et aqua sibi magis necessarias credant. Hinc eas p[re]a reliquis scriptis omnibus maximi aestimantes summa cum attentione singulas percurrunt, et sibi tantam rerum hodie vulgatarum notitiam acquirunt, vt mirabili promptitudine judicii sui calculum, qualibet occasione data, audacter queant adiicere. Subsistunt vero penitus in Diariorum istorum lectione, quorum iudiciis friuolis saepe, minus adaequatis, et ex affectu animi peculiari profectis subscribunt, libri ipsius inspectionem negligunt, parum solidi adquirunt, et pra[iudiciis] ephemeredum vnde duci solent.

§. XVI.

Pene autem eorum essem oblitus, qui ad solidam eruditio[n]em proxime accedere videntur, ac propterea supremum inter alios locum occupent. Quo honore dignos aestimo illos, quibus *compendia* scientiarum, καὶ ἐξω[ν] sic dicta, ad eruditionem, superficiariam videlicet, sufficiunt. Non denuo excurrām in ipsorum compendiorum laudes, quas iis nemo detrahet: In hoc tamen plures a partibus meis stantes mihi polliceor, quod, sicut omnia, quae bona sunt, ita compendia quoque abusum patiantur, in bono ipsorum fine euertendo potissimum consistentem. Nonnulli in verba sui compendii iurasse videntur; nil sapiunt, nisi iisdem verbis ex compendio examinentur: omnem eruditionis ambitum libello isto absoluunt et quidquid in eo non deprehendunt, id superuacaneū esse et ad disciplinae forum non pertinere arbitrantur. Plures siuerint compendiariae eruditionis modi, mihi jam non occurrentes, hos aequus lector recensis pro iudicii sui dexteritate anumerabit.

CAP. II.

CAP. II.

DE COMMODIS COMPENDIARIAE
ERVDITIONIS.

SUMMARIA.

§. I. **C**ompendiaria eruditio propter certas rationes hodie viget, §. II. nimirum propter commoda duplicitis generis, quibus possessorem beatum. §. III. vel immediate, qualia (1) sunt quietes & voluptas, §. IV. (2) rei commoditas, §. V. (3) bona voluntudo, §. VI. (4) curiositatis expletio, si. §. VII. (5) diuitiae, §. VIII. (6) Gaudium aut saltem solatium, §. IX. (7) vel mediate, ut (1) scientia apparente, §. X. (2) hominum amores. Ita §. XI. (3) veneratione, fama. &c.

§. I.

Superioris Capitis §. Vto indicatum est, compendiariam eruditionem, cuius natura paucis ostendebatur, passim his temporibus loco solidae scientiae receptam esse. Sicut autem nihil unquam sine rationibus fieri solet, quarum intuitu malum etiam sub boni ratione poterit expeti: ita manifestum est, eos, qui per compendium erudiri cupiunt, certis *causis* nec leuioribus, nisi, quarum colore et blanditiis allecti propositum suum ardenter persequantur. Quae etiamsi apud alios, qui solidam eruditionem amant, nihil habent ponderis, sed ab iis prudenter contemnuntur; prioribus tamen magno sunt in pretio ut facile appareat, quod

quisquis amet ranam, ranam putet esse Dianam.

Hoc igitur capite, quoad eius fieri potest, commoda recensebo, quibus ad compendiariam eruditionem admiratores eius potissimum ducantur.

§. II.

Poterunt quidem illa ad maiorem perspicuitatem diuersimode distribui, sed cum verear, ne diffusa tali confusione plus caliginis quam luminis rei adferatur, duo tantum genera eorum constitutam, ad quae singula belle referentur. Alia nempe comoda ab ipso

ipso erudiendi modo procedunt, velut a principio proximo interno et *immediato*: alia vero non proxime ex illo fluunt, sed *mediate*, h. c. per intercedentes aut promouentes alias causas externas in possessorem deruantur.

§. III.

Prioris ordinis magnum ad compendia incitamentum est *otiosa* vitae securitas et *quies* quam eruditio compendiaria suppeditat, cum e contrario solide eruditus fieri nemo possit, nisi qui omnem fere cursum vitae in labore et perpetua contentione animi consercerit. Quia igitur plurimi maiorem in quiete voluptatem et in otio quam in labore deprehendunt, non mirum est, si plures in tranquillitate, genio acceptissima, aetatem degere expetunt, utque huius desiderio suffragentur, quicquid laborum molestias adiunctas habet, omnibus viribus detrectant. Ad quid enim in mundo illi viuunt, nisi memorem huius aei genium placare, molliterque dum licet, tractare velint? Sera nimis est vita crastina, videntum igitur hodie. Facile autem patet, eos, qui hac ratione amicorum suauissimas consuetudines, lautissima conuiuia, iudos in multam noctem durantes, vel somni dulcem prolixitatem in pretio habent, seque fortunatos ducunt, quando nec orientem solem vident nec occidentem, fastidire assiduas occupationes, et solidae eruditioni compendiariam praeferre.

§. IV.

Commendat eam porro *commoditas*, quae remissioribus ingenii maxime arridet, et consistit in exigui temporis negotio, vel etiam in negotii illius grata leuitate. Quid enim facilius esse poterit, quam indicem alium atque alium, ad cognoscendam omnium scientiarum naturam, percurrere, vel talia sibi comparare lexica, in quibus proposita forte quaestio, data demum occasione, euolui, et, quid ad illam respondendum, perspici possit! Parum certe laboris atque temporis huic operae tribuendum, et cum illa aetatis ac studii longinquitate minime comparandum est, quae in solida eruditione acquirenda collocari postulat. Quis vero ignorat, humanae naturae sibi relictæ, nec per saniorem rationem do-

mitaç

mitiae nihil magis esse consentaneum, quam rem expeditam, facilem, et paruo labore indigentem; nec eam ab illa re magis esse alienam, quam quae grauioribus molestiis aut plurimis difficultatibus obstructa et quasi inuoluta est?

§. V.

Tertia ratio, quae ad operam literis compendiario impendendam plerosque inuitat, est *sanitatis conseruatio* et hinc emanans *vitae diuturnitas*. Namque deduci ex superioribus potest, quod is, qui genio indulget, nec multa vigilia aut acriori meditatione nimiaue fessione vires corporis ac vitae spiritus intendendo defatigat, valedudini suae consulat eamque recte tueatur. Et omnino testantur exempla, plures in flore aetatis ob nimiam industriam morti occubuisse, alios autem labore mediocri, sed maiore corporis cura, per medicamenta corroborantia valetudinem antea debilem postea confirmasse et aucta sanitate ad summam senectutem peruenisse. *Quis vero propter solidam doctrinam $\delta\upsilon\chi\epsilon\pi\alpha\lambda$ scilicet crimen incurere, quam, corpore bene nutrito, per compendia erudiri mallet?*

§. VI.

Est praeterea aliud quoddam praeiudicium, quo laborant, qui se in compendiis potiora saltem et res maioris momenti inuenire, quibus suum noua audiendi legendique desiderium expleri possit, arbitrantur. Hi proinde maximum sibi commodum ex eo persuadent, si tantum indices vel nouas illas obseruationes, reuelationes et commentarios perlustrent, atque ex iis, quid in Republica literaria noui habeatur, comperiant. Quamvis enim rerum, quas cognoscere cupiunt, adeo certi fieri nequeant, vt illi, qui ex ipsis fontibus lympham hauriunt; nihilominus gratulantur sibi, quod *cupiditati* suae inordinatae *satisfaciant*, et de hac vel illa materia, si in medium proferatur, cum aliis confabulari etiam possint.

§. VII.

Maxime vero omnium compendiariam eruditionem suadent *dinitiae* tum iam acquisitae, tum adhuc adquirendae. Qui enim opibus iam instructi sunt, illi hisce freti plerumque omnia conte-
C mnunt,

mnunt, nihilque sibi opus esse praeterea existimant; unde literas etiam, quae hodie panis tantum lucrandi causa a plerisque coluntur, negligere solent. Saltem, quia periculum est, ne propter suam ignorantiam ab aliis ludibrio habeantur, ad compendia confugiunt, et praecipua duntaxat, ut inscitiae suspicionem a se depellant, primoribus degustant labris. Alii, qui inopia coacti rebus suis prospicere intendunt, ut quam citissime ditescant, ex compendiis conquirunt, quodcumque sibi vtile judicant, et Patronis non contemnendae eruditionis fucum facientes munia praeclara sibi deposcunt, ex quibus facultates queant corradere. Obtinent igitur diuitiae apud hosce posteriores, si terminis loquendum sit, causae finalis, apud priores vero causae impulsivae rationem.

§. VIII.

Quod si iam eiusmodi homines, deceptis aliis, ex hac eruditione fructum consecuti sunt, in sinu *gaudent*, quod ipsi quoque lumina mundi euaserint, imo, quod solide eruditis, qui summa virtute et constanti industria doctrinam adepti sunt, similes aestimentur vel etiam anteponantur. Vbi vero tandem curtam in se supellectilem vel ipsi sponte vel ab aliis moniti deprehendunt, illo se erigunt *solatio*, quod nemo reperiatur, qui omnia nouerit, sed quod omnes *ἐν μέρες γνῶσκωμεν*, et soli Deo omniscienciae gloria relinquenda sit. Quin, si, dolo patefacto, a quibusdam de modo suo erudiendi illegitimo reprehendantur, non pudet eos perfricta fronte regerere, compendia eum in finem scripta et excogitata esse, vt ab aliis pro cuiusuis ingenio cum vtilitate adhibeantur et in usum qualemcumque transferantur.

§. IX.

Posterioris generis commoda explicandi labore supersedere possem, cum eorundem mentio iam iam quodammodo facta sit; nem tamen justo ordini, quem accuratus Lector forte poscit, quicquam detrahatur, ea quoque in medium adducam. Stimulos videlicet, vt discendi compendia arripiantur, plurimos addit *eruditio* tantummodo *apparens*, qua plures videri quam reuera esse docti malunt, infuscatum s. mucidum vinum in scyphis deauratis potius, quam in vi-

treis,

treis, ne fraus pateat, apponentes. Quare eundem sibi finem cum iis propositum habent, qui nummis adulterinis initio quidem speciosis negotiantes decipiunt, vel qui cum jactabundis circumforaneis merces suas amplificant, verborumque pigmentis ornant, etiamsi mala illa Sodomica sordidum denique habeant saporem.

§. X.

Alios autem hac ratione nasis suspendentes et in magnam exspectationem adducentes, vela sua, dum ventus operam dat, explicant, et ansa arrepta, variis modis virorum summorum personis de meliori nota, cum possint, se *commendant*, quorum amore sibi conciliato certissimam sibi pollicentur promotionem. Nec minus *amicitiam* aequalium sibi conciliant, et illorum, qui, quoisque horum doctrina se extendat, nondum recte satis cognouerunt. Quae tamen amicitia ne damno sibi sed lucro sit, probe considerant, utilitate eam probantes. Pari modo inferiorum etiam et imperitorum animos irretiunt, qui eos tanquam omnis sapientiae fontes *venantur*.

§. XI.

Vbi denique satis diu ita lusum est, et noua indies variae eruditionis signa alia aliis cumulate succedunt, *opinio* hominum crescit, et in *admirationem* crumpit, quod diuina quasi et incredibilis quippe talium eruditorum virtus tam breui tempore lucem Reip. literariae attulerit: quid? quod auctoritatis quoque tantum acquirant, ut, quicquid dixerint, nemo sit, qui non vel de coelo dictum vel aequum omnino putet. Exinde postremo *fama* oritur, nominisque commemoratio, tanquam laborum et omnium periculorum optima merces, quamvis hoc loco determinare nolim, an gloria, quam fortuna ipsis fauente adepti sunt, solida ac vera sit, an popularis; vel justa et expressa, an vero inanis ac tantummodo admixbrata.

CAP. III.

SUMMARIA.

DE

DAMNIS COMPENDIARIAE ERVDITIONIS.

§. I. Compendiaria eruditio propter alias rationes vigere non debebat, §. II. nam commodis damna opponuntur illam dissuadentia: et quidem §. III. quieti et voluptati pernicies animae, §. IV. commoditati inhonestas eius et mentis obtusio, §. V. bonae valetudini eiusdem corruptio et mentis mala valetudo, §. VI. curiositati explendae cordatiorum contemptus, §. VII. dinitiis periculum paupertatis, cum illae sint incertae, §. VIII. Gaudio tristitia, solatio ignaviae turpitude, §. IX. Scientiae apparenti, hominum amori, famae etc. fraus nefaria, §. X. studiorum deterior conditio, §. XI. Multorum imitatio.

§. I.

ENumeratae iam sunt rationes, quarum splendore compendiaria eruditio plurimorum gratiam consequitur. Sed videndum etiam est, num dignae sint, quibus tuto fides habeatur, vel annon alia forte et maioris ponderis argumenta afferri possint, quae compendiarium erudiendi modum dissuadant: nam

Fistula dulce canit volucres dum decipit aniceps.

Et profecto, si res probe consideretur, plura maioraque *damna* inueniemus, quae illius rei cupiditatem prorsus extinguent; dum videlicet adductis capite praecedente commodis tam aperte contradicunt, ut vel simplicissimus sit, qui assensum his denegare audeat.

§. II.

Mox enim erit manifestum, quod causae, quae a compendiorum studiosis in rem suam praetendi solent, adeo fallaces sint, ut non solum facilis negotio subuertantur, sed a damnis quoque hisce oppositis praeponderentur. Quemadmodum ergo commoda ante respectu principii sui in mediata et immediata diuidebantur: ita hoc etiam capite *incommoda* a compendiaria eruditione tum mediate tum immediate profluentia exponam.

§. III.

§. III.

Quietem primo vitaeque securitatem nemo quidem iis, qui per compendia erudiuntur, negare poterit; est enim perspicuum, quod, cum a rebus seriis vacent, gulæ et corpori ex sententia indulgere possint. Si vero quaeratur, quid interea de animo fiat, et quid hic ex otio utilitatis voluptatisque habeat, omnes vicem eius doleant necesse est. At, quid est summa voluptas corporis cum illo coniuncta detimento, quod animae ex illa resultat? Et tamen omnino curandum videtur, ut, quantum anima corpore praeualet, tanto magis in illius emolumenntum cedant, quaecunque agenda susceperimus. Sed tantum abest, ut illa per corporis voluptates erigatur, ut potius pessum eat. Laesâ enim conscientiâ, et institutione neglecta, animae damnum et iniuria infertur, quandoquidem, si donorum a Deo concessionum ratio olim exigatur, nil habet, quo se apud judicem de crimine purgare queat. Nec eo tempore in corporis, cui bene fuit, patrocinium confugere licebit, quod ipsi tanquam clienti praesidium tendat, seque in mala causa adiuet. Ad hoc ipsum enim pertinet culpa.

§. IV.

Sed quid rei facilitas operisque commoditas? Commendatne compendiariam eruditionem haec adeo, ut non sit, quod eam sectari quisquam dubitet? Minime gentium. Namque tempus in eum finem a Deo non est constitutum, ut exigua solum eius particula negotiis et laboribus, laborum nomen vix merentibus, tribuat; maximum vero illius spatium, operae, cui impendendum erat, subtractum, nugis deinde rebusque nullius pretii mancipetur. Quin, si aequa lance ponderemus, quod animus noster ferro non plane dissimilis sit, quod leuius tractatum rubigine obducitur, ad usum vero saepiuscule translatum clarius refulget; facile sentiemus, quod mens nostra, nisi probe exerceatur, hebescat, et acumen, quod acquirere in procliui fuisset, turpissime perdatur. Qui ergo compendiariam eruditionem solidæ propter commoditatem præfert, sciat, quae ardua, tantum pulchra esse, et quod protoplastis jam olim annunciatum sit: In sudore vultus tui comedes panem.

C 3

§. V.

§. V.

Quid vero iis respondeam, qui secundum Cap. II. §. V. vigilando, meditando et sedendo vires corporis debilitare aut sanitati nocere nolunt, sed victu bene nutriente valetudinem tueri, et nunquam nisi sero student canescere? Nescirem omnino, quid iis regerem, nisi proprium gladium porrigerent, quo illos jugulare possem. Nam quis prudentiorum vñquam studiis ita incumbere iussit, ut nulla valetudinis ratio habeatur? Sedere autem et vigilare nunquam nisi in excessu corpori officit. Ast, quid si euincerem, quod nimia corporis cura sanitatem destruat, et vitam iusto citius abrumpat? Multae enim impuritates in alimentis, copiosa nimis varietate assumtis, reperiuntur; quas natura non semper, vti quidem debebat, satis prouide eluit, sed ad putredinem vsque retinet: ex quibus postea vel acutissimi morbi vel molestissimae infirmitates aetatem durantes plerumque oriuntur. Ne dicam, saepius tale cibi potusque genus adhiberi, quod, etiamsi corporis alii parti consulat, in altera tamen noxias certe qualitates generat atque omniratione promovet imbecillitatem. Sit vero, quod omnes, qui per compendia erudiuntur, absque morbo ad annum vsque centesimum vitam suam propagent, quid quaeso prodest diurna lucis externae usura cum tenebris interioribus mentis coniuncta?

§. VI.

Delectatio, quam ex studio nouitatis alii capiunt, risum potius, quam admirationem meretur. Tonsorum enim tironibus et vetulis similes sunt, quae circumcurrentes, quicquid incerti rumoris serpit, colligunt, atque in conuenticulis effutiunt. Quantum vero moratioribus fastidium nugis suis pariant, illi in primis experiuntur, qui garrulos istiusmodi homines ad extremos Garamantes et Indos remotos vellent. Athenienses certe illi, de quibus Act. XVII. v. 21. agitur, parum gloriae apud posteros curiositate sua acquisiuerunt. Nonne autem praestaret res scitu dignas recte et secundum radicem inuestigare, vt fructus aliquando omnium assensu dulces consequerentur?

§. VII.

§. VII.

Quod ad diuitias attinet, in quantum respectu compendiae eruditionis vel ut causa finalis vel ut impulsua considerantur, illas mere pro rebus fortunae habeo. Nam in omnium potestate non est, ut eas iam a maioribus possideant, earumque ope nulla etiam virtute pollentes queant emergere. Nec vnicuique summa officia ambienti Corinthum adire contingit. Ex centenis enim vix vnum adeo felicem videoas, qui optatum finem assequatur. Spe autem sua excidere, quis commodum sibi iudicabit? Quodsi nihilo feciuerint, qui literis propter diuitias et honores tantum operam dent, nec eruditionem propter ipsam expetant, hos in peruerorum numero primos omnium ponere non erubesco.

§. VIII.

Interim non potest negari, naturae mirifice consentaneum esse, ut illi, qui fructum, licet ex fraude aliis facta, ceperint, gaudio afficiantur. Quis enim de bono, quo fruitur, sibi non gratulatur? Veruntamen an pium sit illud gaudium, quo quis de alienis malis exultat, eorum judicio relinquam, qui actiones humanas omnes vel ad verbi diuini vel recte rationis normam concinnatas volunt. Tristitia recte anguntur, quibus sana mens est, nec in hoc solatio acquiescunt, quo sibi blandiuntur, qui omnium rerum exactam cognitionem in homines non cadere dicunt. Cum hoc ipso ignauiam suam arguant, quam colore quodam illinere laborant et excusare, dona interim, quae forte pulcherrima a nativitate habent, nefarie perdentes.

§. IX.

Dum vero externa specie pro vere sapientibus et recte eruditis haberi cupiunt, et hac ratione Patronorum gratiam, vulgi fauorem, omnium amicitiam sibi procurant, iniustissime agunt. Nam existimatione, quam tamen non promerebant, accepta, dignitatis suae pondere, quaecunque moliuntur, efficiunt. Vnde non raro consiliis maxime nocuis commodum Reipublica et turbant, et nihilo tamen minus cum laude et gloria intentum scopum feliciter obtinent. Sed inferunt hac ratione cum Deo, tum Patria, tum sibi


sibi ipsis summam iniuriam. Deo, quem dissimulant; Patriae, quam negligunt: Sibi ipsis, dum superbius, quam oportebat, de se sentiunt.

¶. X.

Quid denique studiis ipsis emolumenti ex compendiaria eruditione accrescat, breuissime ponderandum censeo. Siquidem ex hoc omnium optime patebit, nunquid causae sit reliquum, cuius intuitu compendia eaque sola debeant adhiberi. Ex superioribus iam est perspicuum, quod per compendia rerum cognitio tenuis et velut in transcurso acquiratur, praetermissis interea potioribus causis, fundamentis, rerumque penetralibus. Si ergo in disciplinarum obiecta eorumque naturam interiorem non satis accurate, et ab acutis ingeniiis inquiratur, quale incrementum literarum sperare poterimus? Ad fastigium omnino scientiarum plurimae ascendere jam tum potuissent, si illorum opera fuissent excultae, qui ingeniorum suorum nobilitatem opprimere, aut voluptatibus et otio consecrare, quam literis dicare maluerunt. Haec etiam fuit ratio, quod superioribus seculis densissima caligine animis hominum offusa omnes propemodum bonae artes depresso et sepulta jacuerint. Quinimo periculum est, ne denuo exiguarum, quae videntur, rerum ignorantia magnas iterum tenebras in omne disciplinarum genus inuehat. Quantum vero damnum!

§. XI.

Ad mala ista hoc accedit etiam, quod ii, qui compendiaria eruditione gloriam et auctoritatem nacti sunt, alios quoque sententiae suae veneno inficiant, suoque exemplo ad eandem incitent. Quicquid enim agunt, imitatores diligentius intuentur, iisdemque corrupti praeiudiciis priorum vestigia feruenter pro virium suarum modulo persequuntur. Vnde Respublica literaria ignavis passim civibus conseritur, qui vel parum vel nihil commodi ipsi adferunt. Optandum igitur, ut illa ingeniorum pestis, qua eruditio compendiaria hodie tanti aestimatur, penitus exsecetur.



Coll. diss. A. 123, mid. 24